



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

II. De absolutionibus impendendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

V R B A N V S S A L T Z B V R G E N S E . V V E N C E S L A V S I S T
P. VI. I M P.

ANNO
CHRISTI
1586. vna cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus suis, ac coepiscoporum nostrorum, & quorumdam aliorum prælatorum præsentium nobiscum in hoc sacro provinciali Concilio residentibus, ad correctionem excessuum & reformationem morum diligent ac matura deliberatione præhabita, infra scriptas constitutiones edidimus salubres & utiles, iure fundatas, æquitati consonas, & per quas subditorum seruatur honestas: quas per locorum ordinarios prælatos, archidiaconos & alios ecclesiærum rectores per totam nostram prouinciam publicari, & sub poenitentiæ in eis contentis præcepimus in uiolabiliter obseruari.

C A P I T V L A.

I.

Quia, vt accepimus, clerici diuersi diuersimode in horis canonicis & diuinis officiis diuersum psallendi tenent modum contra canonica instituta: volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, districte præcipimus, vt ab omnibus & singulis clericis sæcularibus in psallendo idem modus & ordo in diuinis officiis & horis canonicis obseruetur, ita quod unusquisque in hoc suæ cathedrali ecclesiæ, siue fuerit regularis, siue sæcularis, rationabiliter se conformet. Si quis huius constitutionis transgressor extiterit, per loci ordinarium, vel archidiaconum, canonica monitione præmissa, ab ingressu ecclesiæ suspendatur. Religiosos vero in suis rationabilibus obseruantibus volumus remanere.

II.

Sanctione præsenti sub interminatione maledictionis æternæ districte prohibemus, ne aliqui majori excommunicatione nodatos, aut suspensos,

vel in homicidio , furto , sacrilegio , falso testimoniō , periurio , incestu , instrumentorum & literarum falsitate , & aliis casibus sedi apostolicæ , vel nobis specialiter , vel nostris suffraganeis , aut aliis competentibus iudicibus reseruatis , quacumque præsumant absoluere , vel vota commutare . Quod si quis fecerit , ab officio suspendatur , donec pro superiorum arbitrio satisfaciat competenter .

III.

Cum interdum tam a sede apostolica , quam ex speciali indulto , plerisque gratiōe concedatur , vt in casibus superioribus reseruatis cum sibi subditis dispensare , ac eos absoluere , eisque pro modo culpæ pœnitentiam iniungere valeant competentem .

Verum , quia nonnulli indulto huiusmodi abutentes , pœnitentias huiusmodi in pecuniarum proprium & bursalem quæstum vertunt : Nos igitur attendentes , quod priuilegium meretur amittere , qui concessa sibi abutitur potestate , decernimus , huiusmodi indulgentias a nobis concessas vel in posterum concedendas , post huiusmodi abusum esse nullas , vacuas & inanes : declarantes etiam absolutiones , quas tales abutentes impenderint , similiter fore nullas . Abutentes quoque eo ipso suspendimus a diuinis , donec pro qualitate culpæ absolutionis beneficium a suis superioribus meruerint obtinere .

IV.

Volumus , & omnibus ecclesiarum rectoribus districte præcipimus , vt in casibus dubitabilibus præcipue periculum vel salutem animarum concer-
nenti-